

Scorpionis signum facit natum acris ingenij & pugnacis, subdolum & sub specie amicitiae fallentem, cupidum arces & loca Martialia ædificare, & diruta refarcire, & urbes ornare ædificijs. Sed clara stella quæ dicitur Cor Scorpij, facit natum rapacem, uiolentum, & regnare cupientem.

Sagittarij signum cum suis stellis, maxime prima eius pars humanam habens formam, facit natum mitem, rationabilem, astutum & prudentem, cupidum gloriæ, ac etiam facit natum gaudere restauratione dirutarum urbium, & bonos mores in eis renouandi. Sed eius secunda pars quæ est Equina, natum facit irrationabilem, minoris ingenij, & euerforem urbium.

Capricorni astrum, facit natum cupidum bellandi, & omnia euertendi ac desolandi studiosum. Cuius prima pars facit natum amatorem terrestris militiæ.

Aquarij signum facit natum bonum, iustum, rationabilem, castum, sanctum, & fidelem, pium, sed non multum astutum, & in damna sua facile labentem & solitari-um.

Piscium signum natum facit mente uarium, fidefragum & maledicum, conuiuatore lætum, nunc ad istas nunc ad illas aures crimina aliorum susurrantem, & palam uenenosa uerba dicentem, audacem in malis, & inuidia flagrantem.

De imaginibus Septentrionalibus.

VRSÆ maiores imago cum suis stellis, facit natum animosum, gaudentem ingentes & terribiles feras subiugare atq; domare.

Draconis constellatio, facit natum malum, inuidum, seductorem, seminatore discordiarum, uagabundum, non quærentem diuitias.

Cephei imaginis constellatio, facit natum grauem, austerum, non leuerum, studet uenari, gaudet fingere multum, cum grauitate morum, tranquillæ uitæ, & uere stoicus, interdum tragico, & aliquando comico letatur carmine.

Arcturi siue Bootis imaginis constellatio, maxime clara in Boote quæ dicitur arctophilax, facit natum fidelem, qui amicorum secreta fido pectore & taciturnitate seruabit, & cui propter suam integritatem, publicæ uel regiæ opes quandoq; credantur & regnandi cupidum.

Coronæ Septentrionalis imaginis constellatio, facit natum nitidum, mundum, amatorem adulteriorum, & unguentis & odoribus se demulcentem, ut sit maior gratia adulteriorum, gaudentem in artibus uoluptuarijs.

Herculis, siue Engonalis constellatio facit natum subdolum callidum, & multis dolis instructum, mendacem, & effrœnata animositate grassantem, sed audacem & fortem, & persecutorem.

Vulturis cadentis constellatio facit natum gaudere inquisitione bonarum artium. Clara stella quæ Vultur cadens, uel Lyra dicitur, facit natum musicum & uoluptuarium.

Cygni constellatio, facit natum gaudere aucupio, & ingeniosum, & solitum docere aues loquelas humanas, erit etiam uagus, & qui errando uiuet, sed cum lasciuia. Clara stella in eo quæ dicitur Cauda gallinæ, inclinatum ad bonas artes.

Cassiopeæ imaginis constellatio, facit natum lasciuum, & qui magnopere delectetur gemmis & margaritis, & sculptura in auro uel argento, auarum, & cui sit magna aurî cupido.

Persei imago facit natum appetentem diuitias, honores, & uictoriam. Sed lucida stella, quæ dicitur caput Gorgonis, facit natum talia patrare, quorum causa caput ei amputabitur.

Eniochi siue Aurigæ constellatio, faciat natum superbia elatum, cupidum illud efficere